



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCCVII. Ioannis Papae VIII. Ad Svpponem Comitem. Mandat vt ad montem Cinisem obuiam sibi veniens, imperatricem Angelbergam, & praesules Mediolanensem & Parmensem idem facere moneat, vt simul ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

rum consilium redeat, & de epistolis, quas illi ex maritimo itinere remisimus, respondeat, & Romanam ecclesiam, quæ vobis vtrisque omnibus decus regale & imperiale intulit, venerando diligit, mittens præsentaliter ipsis anathematizatis Lamberto & Adelberto. Data vt supra.

## EPISTOLA CCCVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD SVPPONEM COMITEM.

Mandat vt ad montem Cinisem obuiam sibi veniens, imperatricem Angelbergam, & præfules Mediolanensem & Parmensem idem facere moneat, vt simul quæ ad utilitatem ecclesiæ pertinent tractare valeant.

*Dilectissimo filio Supponi glorioso comiti.*

**Q**VIA nos, in quibus, Deo dispensante, fines sæculorum deuenerunt, pro sanctarum Dei ecclesiarum statu variis motibus ducimur, diuersisque fluctuum procellis impellimur, sed tamen non destituimur propter eum, qui nos confortat Christum Iesum, seruata prædecessorum nostrorum fide proli Francorum, ad Gallias properantes idcirco venimus, vt pacis, atque vnitatis vinculo regum corda connecteremus. Sed completum videmus, quod Matth. 24. in euangelio legimus: *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescit caritas multorum.* Quapropter vestræ dilectioni fidentissimæ, & probatæ fidei mandamus, vt nobis cum officio decentiæ vestræ, ad montem Cinisem obuii quanto citius veniatis, vt pariter conuenientes, quæ ad utilitatem congruunt, Domino permittente, tractare valeamus. Simulque hoc precamini dilectam filiam nostram Angelbergam imperatricem, atque Anspertum archiepiscopum Mediolanensem, VVibbodumque Parmensem episcopum, aliosque fideles atque amicos. Data vt supra.